



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mater Amoris Et Doloris**

**Ginther, Anton**

**Augustæe Vindelicorum, 1711**

**VD18 15312348**

Consideratio V. B. Virgini Dolorosæ Nomen imponitur Maria, quod dulce & amarum est, quia amarum mare. Emblema. Aurantium, seu pomum aureum dulcia quidem saporis, sed amari corticis cum lemmate: Dulce ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47286](#)

## CONSIDERATIO V.

B. Virginis Dolorosæ nomen imponitur MARIA,  
quod dulce & amarum est, quia amarum mare &c,



*Et nomen Virginis MARIA.*

*Luc. 1. 27.*

I. **M**ur Adam à DEO hoc nomine nuncupatus sit, in pro-  
pria causa est, quia *Homō* ab *hunc* & Adam ab *Ada-*  
*ma*, quae terram significat. Cur *Eva* ab eodem A-  
damo *Eva* fuerit vocata, rationem Scriptura addit,  
quia futura erat *Mater cunctorum viventium*, hoc e- *Gen. 3. 20.*  
nim *Eva* nomen designat. Sed adverte; quemadmodum *Eva* in vi-  
ta temporali cunctorum viventium protoparens est, ita B. Virgo Do-  
lorosa in vita spirituali & æternâ, dum DEUM nobis protulit & homi-  
*Mater Dolorosa.*

F

nem,

nem, atque sic fidelissima in generis humani redemptione cooperatrix extitit, longè potiore jure ac ratione cunctorum viventium ac Christi fidelium Mater est appellanda; & nunquid *Rebus conveniens nomen in omen abit?* Hinc haud immerito inter Doctores ac SS. Patres quæstio exorta est, quare SS. Deipara non Eva, sed MARIA octavo post nativitatem suam die à SS. Parentibus Joachimo & Anna vocata sit?

B. Alb. M.  
Sup. Missus  
e. 60.

S. August.  
Serm. 2. de  
Annunt.

Gen. 17. 15.

Gen. 25. 23.  
S. Bernh.  
Sup. Sig.  
Magnum.  
Gen. 49. 22.  
z. Reg. 25. 23.  
Esth. 8. 5.

Respondebat B. Albertus Magnus, nequaquam conveniens fuisse, DEI Matrem Eam appellari: *Cum Sanctissima, inquit, hæc Virgo primario electa non sit ad impertiendum nos vitâ spirituali, verum ad pro-gignendum è castissimis virginalis uteri visceribus Dei Filium, ac mundi Redemptorem; parum convenisset, priore nomenclaturâ neglectâ, unius posteriorius curam habuisse.* Magnus Aurelius Augustinus alias subdit rationes, quare nomen Eva B. Virgini non convenerit: *Eva, ait, damnavit, MARIA salvavit: illa occidendo obsuit, ista vivificando profuit: illa Eva vocata extitit, ista nomen Eve mutavit, non quidem voce, sed re.* Illa omnes homines carnaliter generavit in mundum, ista spiritualiter regeneravit in cælum: illa gratiam perdidit, ista gratiam invenit: *illa facta est de latere viri dormientis, ista de corde DEI vigilantis: illa viro suo occasio fuit perditionis, hæc viro, id est Christo adjutorium redemptionis &c.* O qualis discordantia inter utramque! quam inconveniens igitur fuisset, si utique idem nomen cessisset.

Sed dices, quare hæc Sacratissima Virgo non fuit appellata Sara, vel Sarai, quod nomen idem est: ac Domina & Princeps plurimarum gentium; quod adimpletum, dum Isac, generis non duntaxat Hebraicæ, sed & humani delicium genuit, ex quo orbis Servator Christus suo tempore erat nasciturus? Et nunquid figurans cum figurato corresponteat, necesse est? Vel cur non nominata fuit Rebecca, quæ duplex mater extitit, dum uno partu Jacob & Esau progenuit; ita, subintrat hic Mellifluus, B. Virgo duplex Mater effecta est DEI & hominis, Regis & exulis, Christi & peccatoris? Cur non Rachel, quæ Joseph in lucem edidit verè filium accrescentem, qui elegantissimus Christi typus per omnem vitam extitit? Aut quare non Abigail, quæ iratum Davidem placavit? Esther, quæ Hebraicum populum ab interitu servavit? Vel denique Anna, quia passim à matribus nomen assumunt proles?

Verum enim verò nullum horum nominum placuit SS. Trinitati, sed voluit, ut MARIA appellaretur; ita enim insinuavit S. Joachim

chimo & Annæ, Sacratissimis conjugibus per Angelum: *Et vocabis nomen eius MARIAM.* Et quare MARIA vocata est? Interim libeat, prudens Lector! inspicere Emblema, in quo Aurantium malum, ob certam cum auro similitudinem sic nuncupatum, tibi exhibeo, & quia hoc pomum aureum dulcis quidem Saporis est, sed amari corticis, ideo prolemmate inscribere placuit:

## Dulce amarum.

O pientissima Virgo! rectè SS. nomen tuum MARIA cum hoc aureo pomo assimilatur, dulce enim est, sed & amarum, quam veritatem in præsenti consideratione dilucidabimus.

2. Dulce est hoc SS. nomen MARIA, quia Dominam significat: *S. Isidor. lib. 7. Etymolog. c. 10.*  
Sermone autem Syro, inquit S. Isidorus, *MARIA Domina nuncupatur*: *Ita in omnibus propemodum linguis pulchre quia Dominum genuit.* Ita in omnibus propemodum linguis ac nationibus hoc sacrosanctum nomen exponitur, & nuncupatur DOMINA; & rectè, si enim Creator ac Dominus universorum, cui venti, mare & omnia obediunt, erat subditus illi, dignum & justum est, ut & ipsa omnium nuncupetur Domina creaturarum. Hinc cœlestis ille Legatus, à SS. Triade ad annunciatum Verbum incarnandum ad eam missus, non ausus est proprio illam nomine in primo ingressu suo salutare: *Ave MARIA, sed Ave gratia plena.* Causam subjungit D<sup>r</sup>acus Stella: *Non eam, inquit, proprio nomine nuncupavit propter suæ Stella hic in dignitatis altitudinem,* non enim in hoc terrarum orbe moris est, ut Imperatores, Reges ac Principes etiam in familiari alloquio proprio nomine salutemus. Disce h̄c reverentiam, disce amorem erga hoc SS. Nomen, si enim Domina est, quia peperit nobis mundi Dominum, ubi amor, ubi cultus, ubi nostrum erga eam obsequium? Si in SS. Nomine J E S U omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium *Philipp. 2. 10.* & infernorum, oportet, ut & nos hoc dulcissimum Nomen MARIAE summâ, quâ decet, demissione veneremur.

3. Aliud pulcherrimum argumentum pro Dominio MARIAE annotavit S. Bonaventura, qui in exemplum formosissimam illam reginam Esther adducit, quam duæ ad Assuerum regem comitatæ sunt ancillæ, quarum uni Esther ob corporis teneritudinem innitebatur, altera vero hanc Dominam suam secuta, defluentia colligebat vestimenta: *Cumque regio fulgeret habitu, & invocasset omnium Reitorem & Salvato-* *Esther. 15. 5.*

rem DEUM, assumpsit duas famulas &c. Supra quod pereleganter me-

S. Bonav. in moratus Doctor Seraphicus: Due famule, inquit, quarum Regina est  
Spec. B.V. MARIA, sunt Angelica & humana natura. Humana est famula illa, que

sequitur Dominam, in mundo colligens vestimenta Domine, hoc est, virtutes,  
& exempla MARIE: Angelica vero est illa altera, super quam in celo

Jo. Gerson  
Tr. 4. in Ma-  
gnif. Exerc.  
s. innititur, sed sociando ac deliciando cum Angelis &c. Hinc optimè ob-  
servat Magnus ille Cancellarius Parisiensis, quod regnum DEI in duas  
partes divisum rectè dici possit, cujus pars una justitia, alia misericor-  
dia est; justitiam sibi Filius reservat, cui Pater dedit omne judicium,  
alterum regni dimidium, hoc est, misericordiam MARIE contulit.

Arnold. Carnol. tr.  
de laud.  
Virg. Audi & Arnoldum Carnoreensem: Christus, ait, est Dominus, MARIA  
Domina, constituta quippe est super omnem creaturam, & quicunque IESU  
curvat genu, Matri quoque pronus supplicat. O planè immensam hujus  
SS Nominis MARIE dignitatem! Erige te, quicunque tandem es,

Serve & Cliens Mariane! erige, inquam, te, non enim duntaxat po-  
tentem, sed & clementissimam, ac benignissimam habes Dominam,  
quam, si sincero ac filiali amore diliges, in omnibus tuis, tum animæ,  
tum corporis necessitatibus fenties propitiam: Mergar, dicit quidam

In Circ.  
Monstr. die  
28. devotus Asceta, licet inferis collo tenis, inde cœli Reginam in opem voca-  
bo, miserationi ejus integrè me committam: nemo enim potest inter MA-

S. Ephr. O.  
R. de Virg. RIÆ brachia perire; & S. Ephrem: Nomen MARIE, inquit, est reserato-  
rum porta cœli. Vide hic, anime mi! quam dulce sit nomen MARIE.

S. Ambro.  
lib. de Insti-  
tut. Virg.  
c. 5. 4. Dulce insuper est SS. Nomen MARIA, quia juxta S. Ambro-  
sium idem significat, quam Deus ex genere meo; vel potius: Filius  
DEI ex genere meo; quid excellentius, & quid dulcius? Item Illumi-  
nata, & Illuminatrix; ita D. Eucherius; sicut enim luna, testis in cœ-  
lo fidelis, à sole illuminata universæ terræ, cum plena est, de nocte  
intempesta suam communicat lucem: ita B. Virgo, quæ pulchra ut luna,  
à Christo (Mystico justitiae Sole) participarum lumen non Apostolis,  
Evangelistis, primis Martyribus ac Christianis duntaxat, dum adhuc  
in vivis erat, sed & omnibus Christicolis, ac præsertim de salute æter-  
na periclitantibus, atque in umbra mortis sedentibus communicavit,  
& etiamnum hodie communicare assolet. Proin rectè illius SS. No-  
men interpretatur Illuminata & Illuminatrix. Audiamus S. Bona-  
venturam: Ipsa est, inquit, cuius vita gloria lumen dedit seculo, ipsa  
est luceerna Ecclesie ad hoc illuminata à DEO, ut per ipsam a tenebris mundi  
illuminaretur Ecclesia &c.

s. Ex-

5. Exponitur ulterius hoc SS. Nomen MARIA, Stella maris. S. Bernh  
 Ita Mellifluius: Nomen Virginis MARIA, inquit, quod interpretatum hom. 2. sup.  
 Maris Stella dicitur; ipsa est præclara & eximia Stella super hoc mare ma- Missus.  
 gnum & spatiōsum sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. Et Eu- Euseb. Emess.  
 febius Emesenus auctor antiquissimus homilia in Epiphaniam Domini hom. in E-  
 ita de hoc Nominē differit: Veniunt, ait, Magi Bethleem, stat supra do- piph.  
 munū illam, in qua erat Virgo MARIA, stat stella supra stellam, MARIA  
 enim stella maris interpretata est. Stella itaque Filius, stella & Mater;  
 stella oritur de stella, sed major que oritur, quam illa, de qua oritur &c.  
 Et quemadmodum per hanc maris stellam inter tot ventorum ac pro-  
 cellularum furias navigantes ad optatum diriguntur portum, ne in Sco-  
 pulos, Syrtes, Scyllas, Charybdes impingant, ac pereant, ita per MA-  
 RIAM Christiani diriguntur ad gloriam & salutem obtinendam æter-  
 nam; unde iecit Seraphicus Doctor: Legitur, inquit, & verum est, S. Bonav. in  
 quod nautarum mos est, ut cum in aliquam terram navigare disponant, unum Spec. B. V.  
 fidus eligant, cuius signo luce radiante in eam, quam desiderant partem pos-  
 fint sine errore adduci; Tale certè officium est Stelle nostræ MARIAE, que  
 navigantes per mundi mare in navi innocentie, vel pœnitentie dirigunt ad lit-  
 tus cœlestis patriæ.

Vide ex his anime mi! atque considera, quam dulce ac gratiosum  
 sit hoc Sacrosanctum Nomen MARIA; Etsi Romani olim in omni ho-  
 stili incutsu ad suum Capitolium confugiebant, Babylonij ad turrim  
 Babel, Burgundi ad Burgum &c. ita Sodaes ac Clientes Mariani  
 ad MARIAM, velut ad turrim fortissimam contra omnes inimicorum  
 assultus se conferant, quia Turris fortitudinis est à facie inimici. Imò Psal. 60. 4.  
 hoc SS. Nomen non turris dumtaxat fortissima est, sed & civitas inex-  
 pugnabilis, ita Vates Regius: Qui diligunt Nomen ejus, habitabunt Psal. 68. 37.  
 in ea; hoc est sub securissimo tanti Nominis patrocinio, tanquam in  
 munitissimo propugnaculo contra omnes hostium incursus. Audi pro  
 tuo solatio & S. Birgittam, imò ipsam SS. Deiparam ad hanc Divam  
 loquentem: Omnes demones verentur hoc Nomen, & timent, qui an- S. Birgitt.  
 dientes hoc Nomen MARIA, statim relinquent animam de unguibus, qui- lib. 1. Rev.  
 bus tenebant eam. c. 9.

6. Verum progrediamur in expositione hujus SS. Nominis MA-  
 RIÆ ulterius; & quid audio? ergo hoc dulce Nomen amarum sit?  
 quinimò amarissimum: Myrrha maris est, ita SS. Ambrosius, Hiero- S. Ambr. lib.  
 nymus, Epiphanius & alij, quod colligunt ex duobus nominibus Heb. de Institut.  
 rai. Virg. & alij.

raicis, videlicet *Mor*, quod myrrham, & *Jan*, quod marē significat; fuit ergo hæc dulcis Virgo præ cunctis quidem mortalibus gratiā plenissima, sed & innumeris ac planè immensis amaritudinibus in anima repleta, quæ jam tunc temporum intervalllo vix in lucem edita cum Noë-

**Ruth. 1.20.** mi dicere poterat : *Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Et si S. Joanni Damasceno, S. Bonaventuræ, B. Alberto Magno ac pluribus alijs SS. Patrum credimus, *juxta etypon sui SS. Nominis MARE AMARUM* per omne vitæ curriculum extitit, hoc enim propriè illius Nomen indicat. O Beatissima ! Si convenient rebus nomina sepe suis,

S. Jo. Damasc. l. 4. c. 15. quid adhuc erit de te? *Martyres*, inquit S. Jo. Damascenus, a gloriojo passionum triumpho nominantur, & MARIA à futnro dolore capit nomenclationem, dum mare amarum interpretatur.

Perelegantem de hac veritate nobis subministrant figuram Sacrae Paginæ. Cùm regnante Pharaone in Ægypto immanissimo tyranno omnes Hebræorum masculi in profluentem, velut canes vitâ indigni abjicerentur, & amarissimus parentes inter ac amicos exoriretur Iustus, Amramus & Jochabeta Israëlitæ & piissimi conjuges filiam calamitoso tunc temporum intervallo natam in memoriam hujus ac tantæ amaritudinis MARIAM, id est, inquit Cornelius & passim alij, *Myrrham maris* appellarunt, quæ Maria Moysen fratrem suum germanum in scirpea fiscella in Nilo expositum, ambulans in ripa observavit, matrique jussu Therncut filiæ Regis nutriendum, & donec adolesceret, educandum reddidit. Tandem grandior facta, & permanens virgo, sicut Moyses virorum, ita illa mulierum dux in transitu maris Rubri exitit: *Sumpsit ergo MARIA Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manus sua, egressaque sunt omnes mulieres post eam &c.*

Vide hic prudens Lector! antiquissimam Marijanii Nominis ery-

*S. Ambr. Ex. mologiam. Hæc MARIA Virgo, subintrat hic D. Ambrosius, soror hort. ad Virg. Moylis & Aaron typus fuit interemeratæ Virginis ac Matis DEI MARIE, illa myrrha matris in umbra vocabatur, & hæc in veritate erat myrrha maris amarissima, in mare amarum & pelagus omnium dolorum: Sicut nomen ejus, sic ipsa. Et licet in mare diversa se se effundant flumina, ac desuper dulcibus rigerunt celi pluvijs, mare tamen amarum perseverat, unde lemma: Nil de sal sedine linquit; ita & in mare mysticum, MARIAM, quamvis omnia flumina, id est, teste S. Bonaventura, gratiae & charismatum dona intrare soleant, nil tamen hoc mare quidquam de sal sedine perdit, sed mare amarum permanet: Sicut nulla,*

ait Hadrianus Lyræus, in mari gutta est, quæ amara non sit, sic nullum M<sup>as</sup> Hadr. Lyriane vita momentum, quod plurimarum afflictionum & arumarum non impedit in Trisag. buit amaritudo. Et hoc significat SS. Nomen MARIA, cuius si veri sit. Pausa. p. lij ac clientes esse discipimus, sine animi amaritudine recordari non possumus.

7. Habet autem hoc admirabile & gloriosum Nomen quinque litteras, dignas, ut à nobis intellectu attentiore considerentur. De Davide cum adhuc puero pastoritio recensent Regum libri, quod contra Goliath pugnaturus quinque limpidissimos lapides de torrente elegerit, quorum unum fundae imposuit, in quo nomen Ioseph (per anagramma O JESU) erat exaratum, in cuius SS. Nominis virtute gigantem prostravit, & insignem ab eo reportavit victoriam: *Et misit manum suam in peram, tulique unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percussit Philisteum in fronte: & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram &c.* En perelegantem typum SS. Nominis JESU & Quinque SS. Vulnerum ejus, unde rursus S. Bonaventura: *Sicut Christus, ait, quinque Vulneribus suis contulit planè remedia mundo; sic MARIA suo sanctissimo Nomine confert quotidie peccatoribus veniam in hoc mundo:* intellige per potentissimam suam intercessionem, quia Mediatrix, Adjutrix, Reparatrix, Illuminatrix, & Advocata est, ita SS. Nomen ejus MARIA.

De fortissima Judith commemorant Sacrarum Litterarum Interpretes, quod quinque pretiosis gemmis, quas in Sandalijs suis collo, rursus in hunc caverat, Holofernis animum obcæcaverit, atque in sui amorem attraherit: *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus &c.* Plus virtutis in Nominis MARIAE, singulæ enim litteræ pretiosæ sunt gemmæ, quibus annæ tuæ hostes debellare &c.

**M.** Margaritham denotat, de qua lemma: *Cœlo secunda parente;* solet enim Margarita è distillante, limpida & purissima roris cœlestis guttula confici, & intra concham reponi: ita in utero B. Virginis Verbum Divinum cum natura humana hypostaticè unitum est.

**A.** Adamantem indicat, de quo lemma: *Gemma pretiosior omni;* Talis adamas B. Virgo erat, cuius dignitas tanta est, eò quod Mater

S. Th. 1. p.  
q. 25. ad 6.  
n. 4.

Mater DEI sit, ut, teste Doctore Angelico, non solum omnium hominum, sed & Angelorum excedat dignitatem, excellentius enim est esse Matrem Principis, quam ministrum &c.

**R.** R<sub>u</sub>binum designat, de quo lemma: *Cruore notabilis ipso;* quod enim rubicundior, eò & pretiosior esse solet; hinc & rubore suo passionem exprimit. Ejusmodi rubinus SS. Deipara in cruenta Filii passione extitit, & licet ipsa Sanguinem suum non fuderit, Christi tamen pretioso Sanguine stans juxta crucem abundè rigata, atque delibera est, ubi *Sanguis sanguinem tetigit.*

**I.** Iaspidem demonstrat cum lemmate: *Virore perenni.* Est autem Jaspis subviridis caloris & pellucidus, spei humanæ symbolum; sed optimus ille est, cui alba linea transversa est; estque singulare, teste Dioscoride, contra venena & veneficia amuletum. O Beatissima Virgo! quid SS. Nomen tuum aliud nobis est, quam ejusmodi salutifer Jaspis, spes & amuletum contra omnes diabolicos & malorum insultus, ac præsertim tunc in ultimo agone, ex quo nobis penderit æ. S. Bonav. in ternitas? Qui hoc Nomen retinet, ait Seraphicus, non expavesceret psalm. B. V. in punto mortis.

**A.** Amethystum ostendit cum lemmate: *Miscentur violæ ro-*  

S. Isid. l. 10. sis. Ita S. Isidorus Amethystum describit: *Amethystus purpureus est*  
*Ethymol.* *permixto violaceo colore & quasi rose nitore;* Symbolum autem perfectæ charitatis & humilitatis est. Et quid, obsecro, humilius Ancilla Domini? & quis unquam majore in DEUM & proximum excelluit  
*S. Bernh.* *charitate?* O MARIA, finio cum Mellifuo, O Nomen suavissimum:  
*bom. 2 sup.* certè non sum dignus te nominare; sed si non sum dignus propter me, sum  
*Missus.* *dignus propter te, quia tu es digna nominari, & ab omnibus amari, &*  
*revereri, quia per te gratiam acquirimus, & gloriam*  
*imperramus.*



CON-